

Q. N. 364, 27 De variis seculorum denominationibus

I. N. J.

AD

X 2125428

II m
698

SACRA SECU- LARIA,

ORATIUNCULIS ALIQVOT SCHO-
LASTICIS, CRASTINA DEO VOLENTE LU-
CE, HORIS A SECUNDA POMERIDIANIS
CELEBRANDA,

OMNES REI LITERARIÆ
PATRONOS, FAUTO-
RES atq; AMICOS

OBSERVANTER INVITAT

JONAS GELENIUS,
CRUC. RECTOR.



DRESDÆ,
LITERIS RIEDELIANIS.

79

I. M. J.

AD

SACRATA SECU.

LARIA

ORATIONES ALIQUOTIS
LITURGICIS CRISTINA DEO VOLUNTIBUS
CE. HORIS A SECUNDA POMERIDIANIS
CELEBRANDA.

OMNES REPTERARIAE

PATRONOS FAUTO.

RES SEP; AMICOS

OSSEVANTER INVIAT

JONAS GELLENBUS

CRUC. RECTOR

DE 22. 2.

LITERIS RIEDLIANIS





Non mediocrem Romanis concitavit risum, stolidissimus Imperatorum Claudius Drusus, cum eosdem ad *sacra* invitans *secularia* per præconem more solenni proclamare jussisset: *ad ludos venirent, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset*; (a) cum tamen superessent adhuc qui spectaverant, & quidam histrionum, producti olim, tum quoque producerentur. At nobis absque omni derisus metu proclamare liceat: *adeste A. O. sacra nobiscum celebraturi secularia, quæ nec celebravit quisquam nec fortasse celebraturus est.* Nimirum inter tot sursum ac deorsum euntium rerum vicissitudines ad finem suum perducto *Seculo XVII*, novum rursus Dei O. M. voluntate auspicamur. (b) Ut autem nullum ab orbe condito fuit *seculum*, quod non vel commemorabili quodam divinæ bonitatis documento, vel stupendis naturæ prodigiis, aut ingenti quadam rerum humanarum conversione ad posteritatis memoriam eluxerit; Ita si proximè elapsum reliquis omnibus palmam præripere dixero, nihil absurdi me dicere ex facili largietur, quicumque in memoriam illius diligentiorum regressus fuerit. Qui *seculorum* genium atque naturam paulò curatius exquirunt, variis insignire solent illa titulis, quibus indolem eorum in brevi quasi tabella nobis ob oculos proponant. Nihil jam dicam de Chiliaistica illa *seculorum* in *seculum Patris, Filii & Spiritus S.* distributione, quæ videlicet totam illam à mundi creatione temporum seriem digerunt in *seculum Dei Patris*, quod ab universi hujus exortu; *seculum Dei Filii*, quod à Christo nato auspicantur; & *seculum Spiritus S.* quod ab exciso Antichristo nos expectare jubent: primumque vocant vetus, secundum novum, tertium novissimum Testamentum, in cujus limine se versari gloriantur, (c) quum nœnias has, & tramas putidas viri gravissimi dudum diluerint ac profligarint. Nec animus est quicquam dicere de *aureo* gentilium scriptorum *seculo*, & quæ hoc ipsum exceperere sequiorum metallorum insignita nominibus, cum quæ de his Poëtæ garrunt, vel iis nota sint, qui non-

(a) Svet in Claud. c. 21.

(b) Sequimur impræfens opinionem communem, cui ex sententia BALDI etiam cum contraria videtur verior inhærendum, non interim nescii, quid aliis videatur, Vid. Bœcl. Res. sec. XVI. Conf. Thomas. Coroll. disp. de jure Majest. Princip. C. S. Ant. Fab. append. ad part. s. de Staats. Cantsley. (c) Gerhard. T. IX. L. Theol. p. 495. Thomas. dissert. de seculo Spir. S.



dum ære lavantur. Illud tantum de *seculo aureo* obiter attingere libet, quod docti viri pridem jam annotarunt, *ferreum* nimirum, aut *luteum* potius fuisse appellandum. Quæ enim hæc quæso aurea felicitas ritu ferarum per agros sylvasque oberrare, eorumque in modum habitare in speluncis, glandibus, quæ deciderant patula Jovis arbore, sedare famem, poculisque Acheloiis sitim restingvere, si præfertim ea cum vitæ nostræ commodis contendas? (d) Silentio quoque præteribo *felix illud ac celebratissimum* à Xerxis gubernatione ad mortem Alexandri M. *Græciæ seculum*, quod lumina illa omnis eruditionis atque sapientiæ Sophoclem, Socratem, Platonem, Aristotelem, Xenophontem, aliosque clarissimos Viros protulit, à quibus optimarum artium atque literarum doctrina ceu à fonte quodam ad nos profluxit. [e] Omittam reliqua à Christo nato ad proximè hoc elapsam secula, quæ vir doctissimus & in studio Historiæ Ecclesiasticæ minimè recens Gvilielmus Cave à Doctoribus & famosioribus Hæreticis & Schismaticis denominat, ac I. vocat *Apostolicum*, II. *Gnosticum*, III. *Novatianum*, IV. *Arianum*, V. *Nestorianum*, VI. *Eutybianum*, VII. *Monotheticum*, VIII. *Iconoclasticum*, IX. *Photinianum*, X. *Obscurum*, XI. *Hildebrandinum*, XII. *Waldense*, XIII. *Scholasticum*, XIV. *Wiclefianum*, XV. *Synodale*, XVI. *Reformatum*. (f) Cùm contra Chartophyl. aliis à diritate potius illorum temporum appellationes sumere placuit. Ita seculum IX. ab ipsis Pontificiis *infelix* appellatur. (g) Seculum X. à sui asperitate, ac boni sterilitate *ferreum*, mali que exundantis deformitate *plumbeum*, atque inopiâ scriptorum appellari consuevit *obscurum*, verba sunt ipsius Baronii. (h) Aliis autem vocatur *monstruosum, infelicissimum, deploratissimum*. (i) *Seculum XI.* nihilo melius superiore, Ditmaro *ferreum* audit, (k) & *ultimum* à multis fuit habitum. (l) His, inquam, & aliis omnibus impræsens omissis, de superioris tantum seculi genio atque indole nonnulla in medium afferam. Sunt itaque, qui *seculum* hoc in omnibus fere rebus *plane singulare* appellant, (m) utpote in quò duo maximi Reges, execrandò omnibus *seculis* exemplò, alter detestandâ sicarii, alter autem scelestâ rebellium manu cæsi sunt. In quò Rex potentissimus, Reginaq; omnis ævi clarissima depositis imperii habenis vitam privatam, procul omni strepitu & ambitione sunt amplexi. In quò tres cæteroquin magni Principes, præter omnium expectationem, fortasse & spes suas, Regalis Majestatis conscendere apicem. In quo ferocissimus Barbarus, quemque omnium opinio invictum habuit, Deò Christianorum Principum armis felicitatem adspirante, ita attritus est, ut non tantum Re-

gnis

(d) Vid. Bodini Method. Hist. c. 7. Becman. Notit.

Dign. Illustr. Diss. I. c. 1. §. conf. Rabeneri Amœnit. Philol. p. 286.

[e] vid. Victor. Strig. orat. de Sophocle T. I. Decl. Acad. Jenen. p. 144.

[f] vid. ejusd. Chartophyl.

(g) Genebrardus ad A. C. 899.

[h] Annal. Eccles. T. X. A. C. 900.

(i) vid. Hotting. H. E. Sec. IX.

[k] cit. Bar. ad A. C. 1001.

(l) Hotting. T. I. Hist. Eccl. p. 226.

(m) vid. Ulrius Obrecht. Dissert. Acad. de Abdic. Caroli V. p. 1.

gnis ac Provinciis integris cedere, verum etiam pacem humiliter pe-
 tere coactus sit. Quo toto, vix brevi aliqua temporis intercapedine
 excepta, cum furiose armis decertatum sit, sub illius finem, quod sane
 mirere, universa Europa, fracta defessaque bellis, dulcissima pace re-
 creata est. Quae singula nisi quis in plane singularibus deputet, eum
 singulariter plane singularem esse oportet. Alii vero *seculum* hoc no-
 vaturiens nominant, (n) & in his ii praesertim, qui dogmatum antiqui-
 orum tenaciores, aere ferunt veterum placita, saepe praeter rem, a ju-
 nioribus ita convelli, & nescio quam musteam docendi rationem in
 Scholas invehi, qua re nihil aliud facere hos Libertinos ajunt, *quam*
ut ingenia, verba sunt celeberrimi Jacobi Thomasia, (o) *ad effrenem*
vocent licentiam, atque ita ex auditoriis, agyrtarum faciant stationes,
ubi insanis quisque clamoribus aliorum circulos turbat, aut officinas
Cyclopum, in quibus & δεις & δειος & δειν & δειν & δειν & δειν. Invenias multos, quibus
 librarium audit hoc *seculum*: non ideo tantum, quod insanabile il-
 lud scribendi cacoethes & rudissimos quosque teneat, quorum tamen
 scripta tanta saepe frigiditas occupavit, ut vel Riphæas nives, geluque
 Scythicum refrigerare queant, & de quibus Catulli illud leviter im-
 mutatum recte usurpes:

Scriptores stolidi, cacata charta,
 Scripta tardipedi Deo sacrandae,
 Infelicibus ustulanda lignis,
 Vos libri illepidi venite in ignem,
 Pleni rursus & inficetiarum! [p]

Sed vel ideo etiam, quia & indoctos hac nostra aetate videas ingentem
 librorum concinnare struem, quos tamen non legunt, plerique
 etiam non intelligunt, & docti potius videri malunt, quam revera
 sunt. Hos tales, non immerito suo, Canis ille Grammaticorum Sciop-
 pius Satyricò alicubi perfricat sale, (q) *cujus verba cum paulò sint*
prolixiora, Lectorem benignum, ipsum è libitinarii filio Comitem Cla-
revallensem evolvere cupimus. Est nonnemo qui seculum superius
κατ' ἀντιφρασι Civitatense nuncupat, [r] quod inimicum infestum-
 que praecclaris quibusdam urbibus fuerit. Quis enim rerum civili-
 um ita rudis est, qui nesciat Donawerdam, Magdeburgum, Monaste-
 rium, Brunswigam, & si quae sunt praeterea aliae, accisis pristinae liber-
 tatis pennis humiles factas, in Principum venisse potestatem, eorum-
 demque imperata jam obedienter facere? Verum potissimam erudito-
 rum partem in eo consentire videas, ut *seculum* praeteritum *curiosum*
 indigitet. (s) Ac sanè si analysin speciosam Francisci Vietae, Carte-

[n] Thomaf.
 Differt. 93 adv.
 Philosoph.
 Libert.

(o) loco cit.

[p] Catall. E-
 pigr. 37. Dilh.
 Dial. p. 51.

(q) in Con-
 sult. de rat.
 Stud. p. 60.
 seq.

[r] Vid. Fel-
 ler. Contin.
 Hist. Lat.

(s) Vedel.
 Dec. IX. Exer-

cit. Medico-Philol. p. 18.

[f] Vid. Pasch. de Invent. Nov. Antiq. Sec. super. conf. VVegleit. Orat. de Invent. hujus seculi. Seyfridi Medull. mirabil. mundi.

(t) Svet. in Galig. c. 31.

sii, Schottenii, Hugenii, aliorumq; hoc seculo clarissimorum Mathematicorum; si tubos opticos sive Joh. Lpperfenii, sive Jacobi Metii; si microscopia Mamfredi Septalæ, Eustachii Divini, atqve Roberti Hookii; si specula ustoria jam laudati Septalæ, Villeti & Illustris. Dn. à Tzirnhaus, ejusdemqve vitra caustica atqve optica; Si circulum proportionatum Galilæi; Pantometron Kircheri; si novam Solis, Lunæqve faciem Scheineri, Hugenii, Hevelii; si comites Saturni, & Jovis seu sidera Medicea Galilæi; si vim elasticam aëris Boylii, Reyheri; antliam pneumaticam Gverikii; si tot thermometra, aëroscopia, hydroscopia clarissimorum artificum; si artem volandi, & artificium navigandi per aërem Francisci Lana; si campanam urinariam Georgii Sinclari, hydraspidem Wagenfeilii, Phosphoros Elsholzii, Kirchmaieri; si circulationem sangvinis Harvæi, venas lacteas Afellii, ductus chylicos Peqveti, salivales Bartholini, ejusdemqve vasa lymphatica; si chirurgiam infusoriam Majoris, medicinam staticam Sanctorii, si, inquam, hæc omnia, aliaqve penè innumera, (f) quæ seculi nostri felicitas aut nova invenit, aut antiqva suscitavit, aut inchoata profligavit, æqvâ lance expendimus, fatendum omnino erit, curiosi titulô suô meritô illud insigniri. At verò nobis pro *curiosô, luctuosum* appellare liceat. Etenim oculo animi à principio ad finem usqve illud perlustrantibus, eheu quod miseriarum theatrum, quàm horrenda malorum facies latè sese explicat, ut in contemplatione ejus mens cohorrescat, manus certè calamusqve scribere refugiant! Si, quod fieri amat, non rebus prosperis, sed cladibus & exitiô generis humani ad posteritatis memoriam commendari solent *secula, vah!* quod hoc ipsô erit commendatius, quod illustrius? Nihil sanè in decursu illius opus fuerat immanissimo monstri illius generis humani Caligulæ votô, quem palam qvestum accepimus de conditione suorum temporum, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur, sui oblivionem imminere prosperitate rerum. (t) Ut intra Germaniæ tantum fines impræfens nos contineamus, recogita necum, L. B. vel solum tricennale bellum, quantum proh dolor in eô sangvinis humani haustum! quantas, quamqve immensas calamitates habuit pedisseqvas! quàm quicquid boni succi atqve coloris Germania habuit, illud ipsum depavit atqve absorpsit! Postremum vero Gallicum, licet non tam diuturnum, illô tamen vehementius ac truculentius fuit. In quô plusquam barbara, & ab omnibus seculis inauditâ feritate, in omnis ætatis, sexûs atqve ordinis mortales, in sacra juxta atqve profana ita sævitum est, ut non tam hominibus, quam

quàm humanitati ipsi indictum videretur! Deleti ignibus & ruinis
non agri tantùm atqve oppida, sed urbes etiam florentissimæ, ac non
minus antiquitate originis, quàm pulchritudine & frequentia nobiles
funditus everse! Diruta religiosissima & sanctissima templa! Tumuli
antiquissimorum Imperatorum & magnorum Principum, quod vel
cæca gentilitas execrata est, (u) violati fractiqve, disjecta ossa atqve [u] Vid. Cic.
cineres, & quorundam recens compositorum cadavera (o seculi pu- 2. LL.
dor & opprobrium!) in propatulum abjecta, ludibrioqve exposita!
Imprimis autem puriori Ecclesiæ Evangelicæ quàm funestum hoc
fuerit seculum, sanguineis facilius lacrymis deplorari, quàm verbis
commodè exprimi potest! Ubi jam florentissimæ [quas nascens hoc
seculum adhuc vidit,] Stiria, Carinthia, Carniola Ecclesiæ? eheu
funditus cum ipsis ædificiis sacris everse sunt! Ubi cœtus Evangelici
Palatinatus Neoburgici, Superioris Marchionatus Badensis? Ubi
Bohemiæ, Austria, Silesia, Moravia, Hungaria? aut extincti peni-
tus, aut inter mille vexationes agrè spiritum trahunt! In multis a-
liis locis, in quantas angustias religio coacta sit purior, neminem
rerum sacrarum tam indiligentem esse arbitror, quem fugiat. Ut ni-
hil jam memorem de deplorandis Doctorum Ecclesiæ hoc *seculo* con-
tentionibus ubi unius ejusdemq; matris filii capitali ab invicem dif-
fidebant odio, atqve pulcherrimam illam Christi sponsam foedis macu-
lis deturpavere: nihil de nefando Atheismi crimine, & novissimo
Satanæ foetu Naturalismo: nihil de tot tantisque patratis sceleribus;
certè, vix *seculum* reperias, quod ita sævum infestumqve virtutibus,
contra autem vitiorum magis fœcundum extiterit; eò etenim usq;
scelerum increbuit licentia, ut, si quò aliò *seculo*, hoc certè superio-
re, turpissima flagitia mores ac *seculum* haberentur. Quid multis?
singula cætera *secula* singulis quibusdam nobilitata fuere cladibus,
ut quidem Historiarum nos docent monumenta, at nostrum hoc su-
perius eâ laboravit infelicitate, ut ex meritò κακῶν θάλασσα queat
nuncupari, in quod, veluti Lernam quandam, omnium malorum
sentina latè defluxit. Sed desino querelarum, ne mali ominis vocu-
lis, auspiciis non novi solùm anni, verùm etiam *seculi* obscurare vi-
dear. Votò potius finiam. Deus O. M. Pater *seculorum*, qui per
Filium suum unigenitum *secula* condidit, & præsens hoc paternâ bo-
nitate suâ ita moderetur ac dirigat, ut si non *aureum*, quod quidem
exaggerata hominum improbitas vix permittet, tale tamen fluere pa-
tiatur, in quò post verum sanctissimi sui Numinis cultum, pax alma
diu consistat, valeant leges, & sincerus privati ac publici officii tenor
serve

act 27 69x

[x] Lamprid.
in Heliogab.

[y] Vellejus
l. 2. c. 103.

[z] Panegy.
Flaviens.

servetur! Præcipue autem tueatur Serenissimum atqve Potentiss. Re-
gem Poloniarum, Electoremqve Saxonie FRIDERICUM AUGU-
STUM, Dominum nostrum clementissimum cum Augustissima Do-
mo Regiâ atqve Electorali, ut si non æquare *seculi* hujus annos, lon-
gissima tamen vivendi spatia in eò conficere possit, & jure meliori,
quam olim Diocletianus *Conditor aurei seculi* (x) audiat; de
quo, ut venustissimus cætera scriptor, fœdè tamen in adulatio-
nem compositus, de Principe suo scripsit, ex vero prædicari possit,
quod temporibus ejus *refulserit certa spes liberorum parentibus, viris
matrimoniorum, dominis patrimonii, omnibus hominibus salutis, quie-
tis, pacis, tranquillitatis, adeo ut nec plus sperari potuerit, nec spei
responderi felicius*: [y] & quemadmodum olim, ad Censuram laudem
pertinebat *si lustrum felix condidissent, si horrea mensis impleisset, si vin-
demia redundasset, si oliveta fluxissent largius*; [z] ita beata *seculi præ-
sentis felicitas Potentissimo REGI atqve ELECTORI nostro immor-
tale nominis decus conciliet*. Tueatur etiam Electorales has Pro-
vincias, ut quemadmodum tot seculis, ita & imposterum ad finem us-
que hujus universi, longâ pace cuncta recreante, justitia ac pietate
fovente, sub tutelâ mansuetudinis Saxonice placidè acquiescant! Tanti-
dem & celeberrimam hanc urbem nostram idem benignissimum Nu-
men præsentis hoc, & si quæ futura sunt *secula*, conservet, ut non so-
lùm in flore suo perennet, sed & indies surgat nitidior pulchriorque
ac maneat nidulus purioris Ecclesie, Justitiæ & honestarum artium,
quò nemo non videat, nos posteri; nostri gratisimò exputemus ani-
mò, JHOVAM adhuc propitium esse his terris, suæq; bonitatis illu-
stria documenta nobis exhibere identidem. *Corona, ô Deus, non an-
num tantùm hunc, sed & integrum seculum, tua bonitate, ut semitæ
tue stillent pingvedine! Miserere nostri, ô Deus, miserere! Fiat mise-
ricordia Tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in Te!* P. P.
in Electorali Dresda, die 21. Januar. Anno recuperatæ salutis MDC.

SERIES DICENDORUM:

- I. SAMUEL THEODORUS Schmidt/ Dresd. *stupenda* quædam
superioris seculi enarrabit.
- II. JOHANNES GOTTHARDUS Kühn/ Dresd. *detestanda* illius in
medium adferet.
- III. CHRISTIANUS Gottlob Weise/ Megacmelensis, *deploranda*
ejusdem deplorabit. Et tandem
- IV. JOHANNES GOTTFREDUS Zeiske/ Elsterwerdensis, præteriti
seculi *celebranda*, & præsentis *optanda* differet, adjecto sub fi-
nem *Carminè Seculari*.

FINIS.

nc 103

102



Q. N. 364, 27 De variis Secalorum

I. N.

AD

SACRA LAR

ORATIUNCULIS
LASTICIS, CRASTINA
CE, HORIS A SECUND
CELEBR.

OMNES REIL

PATRONO

RES atq; A



OBSERVANTE

JONAS G

CRUC. R

DRES

LITERIS RIE



m
8

THECA
AVIANA

